

Infantem Hebræum,

liberaliter educatum,

Ex Hebræis autoribus interpretabitur

PRÆSIDE

THEODORO DASSOVIO,

Lingvæ S. & Orientalium reliquarum

Prof. Publ.

RESPONSURUS

M. DAVID GERTMANN,

Hamburgensis,

AD D. XIX. Novembr. A. M DC XCVIII.

In Auditorio Majori.

VITEMBERGAE RECUSA,
LITERIS IO. GODOFREDI MEYERI,
M D C C XIII.

(13)

Coll. diss. A
24, 36

~~XXIII~~

a. XXIV. 36.

Infanterie Hebräer

liberaliter educatus

et Helvetiae civis

P.R. RESIDE

THEODORICO DASSOVIO

Linguae S. & Orientalium peritissimus

Prof. Publ.



M. DAVID GERTMANN

Handwritten

AD LXIX. MDCCLXIX.

In Anstalt's Injekt

REMERBERG

LEONIS JO. CODICERUS DE MEYER

M. P. C. XLII



§. 1.



Prima cura erat, ut infans pietati assuesceret, & Deum Israelis revereretur. Hinc quamprimum loqui incipiebat, a Patre informabatur in lege, (Vid. *Piske Tosephoth Mimmassecheth Cholin* *num. 64.*) & quidem

in Levitico sive *Torath Cohanim*, ut mature doctrinam de sacrificiis intelligeret, ac quodammodo assequeretur, cuius rei fidem facit *Nathan in Lexico Aruch edit. Venet. fol. 164. col. 1.* Addunt alii Judæi, quod cum infans loqui inciperet, debuerit discere Deut. 6. comma 4tum: Audi Israel Jehova Deus tuus Jehova unus est.

A 2

§. 2.

Cum autem Patrem tenere manu posset, & incedere, ascendebat cum eo Hierosolymam, in festis solemmibus ut docet *Maj. de solenni compar. in festo c. 2. §. 3.* Imo si ex urbe Hierosolyma ascendere in templum posset, ascendebat juxta *Piske Tos. post Sycca n. 67.* Si vero pervenisset & Patrem haberet Levitam, canebat cum Patre in suggestu cantantium, non quasi superiore parte corporis supra pulpitem, Levitarum more, promineret, sed ut inter genua patris in pavimento staret, & sic tenella voce inter voces viriles audiretur, ut legitur in *Gemara de estimationibus c. 3. edit. Amstel. in fol. f. 13. p. 2.* (non tamen instrumenta Musica pulsabat.) Quo pertinet Psalm. 8. comma tertium.

Si puer annos explevisset quinque, ducebatur ad codicem scripturæ sacræ legendum, ut verbum Dei idiomate Hebræo explicare, & linguæ sanctæ indoli assuescere paulatim inciperet. Unde in *Mischna de capitulis Patrum c. 5. §. 27.* scribitur: filius quinque annorum ad scripturam

pturam (duci debet.) Quæ verba *Majmon.*
in h. l. ita interpretatur, quod anno 4to infantes
didicerint a parentibus figuras literarum, & pun-
ctorum sibi notitiam acquisiverint, anno autem
quinto ad ipsam codicem Hebræum legendum
acceserint, sicut arbores præputiatæ anno 4to
incipiebant esse sanctæ, sed anno quarto illarum
fructus edebantur.

§. 4.

Deinde ut legis præcepta paulatim obser-
varet infans, maxima dabatur opera. Nam si
cibus edisset immundos, vel quid prohibitum
in Sabbato peregisset, non quidem a Synedrio
ejus rei admonebatur, quia nondum ad ætatis
maturitatem venerat, attamen a parentibus pro-
pterea objurgabatur, ut sanctitate initiatus in
lætam spem adolesceret, juxta *Majm. de cibis*
prohibitis c. 17. §. 27. 28. Quodsi autem cu-
stodire manus nosset, ne immundarentur, cibi
ex infantum manibus sine metu immunditiei
capiiebantur, docente *Majm. de reliquis præ-*
cipuis immunditiis c. 16. §. 10.

A 3

§. 5.

§. 5.
Præterea si infans fecisset opus in Sabbato,
vel edisset adipem aut sangvinem, cum prima
ætate inter gentiles educaretur, ac deinde robu-
stior factus & gentilibus ereptus, informatusque
a judæis, intelligeret lege Mosis hæc prohiberi,
ob singulis istas legis transgressiones offerebat sa-
crificium pro peccato, cujus sacrificii mentio-
nem facit *Majmon. de erroribus*, (ob quos
immolabantur victimæ) c.1. §.6.

§. 6.
Si in paschate edere infans agnum pascha-
lem cuperet, admittebatur ad sodalitium pascha-
le, licet totum sodalitium non constare ex solis
infantibus posset, sicut nec totum ægrotis, seni-
bus, vel lugentibus vel peregrinis absolvebatur
juxta *Majmon. de paschate* c.2. §.4. Sole-
bant etiam infantes diligenter attendere si in pa-
schali cœna post primum vini poculum cere-
moniæ paschales explicarentur, v.g. cur hac no-
cte bis intingerent, cur panes azymos ederent
&c.

§. 7.

Quodsi tabernaculorum celebraretur festum, infans etiam inhabitabat tabernacula, ut legi Mosis obediret, ac parentum virtutem imitaretur, ac modum rationemque in istis vivendi tabernaculis, usurparet oculis, ac quomodo construerentur, ornarenturque ex parentibus sciscitaretur, & perciperet ceu docet *Majmon. de tabernaculo c. 6. §. 1.* Accedit quod fasciculum etiam gestaret manibus, in festo hoc gestari solitum, si sciret quando vibrare illum ad Hosianæ canticum deberet, ut legere est in *Piske Tosephot subnexis titulo Arachin. n. 4.* Qui conatur dignus laude erat, cum in illa vibratione fasciculi multa attenderentur, & certi fieri intervallis temporum deberet, ut vel adulto homini & exercitato faceret negotium.

Nec in Synagogis mutus erat infans, sed admittebatur ut publice legeret in lege, licet descendere coram arca, vel divedere lectionem *Audi (Israel &c.)* vel tollere manus in precibus
 non

non ante pubertatis annos posset, quemadmo-
dum docetur *in Piske Toseph. subnexis titulo*
Cholin num. 63.

§. 9.

Nec si animal ad Hebræorum leges ma-
cta- re anniteretur infans, refragabantur severi Patres,
modo adstaret ma-ctationi præses. Hoc enim
suffragante non modo non ma-ctandi leges vio-
labantur, sed & de animali ab infante ma-ctato
edere non recusabant, ut docetur *l.c. n. 65.*

§. 10.

Neque vestis peniculamentis in 4. ornata
angulis infanti denegebatur, qua operiri sole-
bat, quamprimum loqui inciperet, & sensa ani-
mi exprimere sermone auspicaretur. Ita infor-
mamur *in Piske Tosephot subnexis titulo de*
Tabernaculo n. 67.

§. 11.

Si quoque contingeret, ut infans vellet in
Sab-

Sabbato commiscere cibos (ut de uno loco in alium deportarentur) concedebatur, quam primum non amplius indigeret matre. *Vid. Piske Tos. Chagiga. num. 2.*

§. 12.

Illud autem in primis ad laudem infantum pertinet, quod in vaccæ rufæ ministerio adhiberentur, & aquam ex amne Siloa peterent, quæ cum misceri cinis hujus vaccæ oportebat. Nam quia nunquam ex mortuo immundati erant, utpote in conclavi templi lapideo nati, hinc apti judicabantur ut illam aquam crateribus lapideis haurirent, & cineres combustæ illis vaccæ injicerent; quæ aqua sacerdos vaccam combusturus lustrabatur. *Vid. Majmon. de vacca rufa c. 2. §. 1. & 7.*

§. 13.

Ut etiam de obsequio parentibus debito commentemur solebant infantes si a parentibus destinati ad Nasiræatum essent, in illum consentire,

B

tire,

tire, qui consensus requirebatur, nec invitis vota
ejusmodi injungebantur, *Vid. Majmon. de*
Nasiræis c. 2. §. 14.

§. 14.

Si quoque infantes jurassent, & vim jura-
menti intelligerent, jussi a parentibus, servabant
juramenta, quod si ea, quæ juramento promise-
rant, præstare non possent, verberibus se corrigi
a parentibus vel magistris suis patiebantur, & mo-
nitis illorum, quibus a jurandi cacæthe avoca-
bantur, obtemperabant. *Vid. Maj-*
mon de juramentis c. 12.

§. 7. 8.

FINIS.



Coll. diss. A. 24, misc. 36

